

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Soclis monitum.**
Erroneus revelationis conceptus penes Modernistas.
M. Antonii Mureti notitia.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et eorum artium quae litteris continentur.
Horae subsecivae. Peregrinus.
De Leonis XIII P. M. Commentarius.
Autumnales excusiones. De domo Georgii Washington.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Decretum S. C. de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis quo statuuntur mutuae relationes disciplinares inter episcopos canadenses et episcopum ruthenum illius regionis, nec non inter clerum et fideles utriusque ritus.
Diarium Vaticanum. Coram SS.mo admissiones — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clarioribus.
Annales. Balkanicae novae nubes. — Sinenses res. — Italorum proelia in Lybia.
Per orbem.
Liberi recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: (Ad Romam).



SOCIIS MONITUM

Socios illos, qui nondum subnotationis pretium solverunt, iterum iterumque rogamus ut debito nobiscum contracto Commentarium nostrum diligenter et continue missum retinentes, quamprimum exeant, pretium ipsum, quod est in Italia libell. 6; ubique extra Italiam libell. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9) Societatis nostrarae Administratori (Romae - Via del Tritone, 46) satisfacientes.

Causa nostra — ne sit supervacaneum repetere — in Sociorum auxilio unice posita est; quo deficiente, ab incepto, cui tam diu acriterque vires nostras sacravimus, necessario erit nobis recedendum.

VOX URBIS.

ERRONEUS REVELATIONIS CONCEPTUS PENES MODERNISTAS

Penes theologos, quoties in ordine supernaturali de actione Dei in mentem humanam fit sermo, tria haec «*assistantia, inspiratio, revelatio*» continuo occurunt, eaque non raro usurpantur promiscue, licet immerito. *Inspiratio* siquidem, intellectus et voluntatis motionem, in qua nulla quandoque est veritatis manifestatio, importat; *assistantia* vero immunitatem quidem ab errore, non autem veritatis manifestationem includit; *revelatio* denique praeter haec praedicta, in proprio conceptu veritatis manifestationem dicit. Revelare enim est velum removere, et ipsamet revelatio iuxta vim etymologicam est veli remotio et ablato.

Haec veli remotio, h. e. veritatis manifestatio, propter obiectum modumque quo fit, triplex esse potest. Siquidem vel in ea manifestatur *res*, et tunc «*revelatio quoad rem*» habetur; vel non manifestatur *res*, sed potius *iudicium* circa rem ferendum, et «*revelatio quoad iudicium*» habetur. Vel denique *res*, ipsumque de re iudicium manifestantur, et «*revelatio quoad rem simulque iudicium*» habetur. Audiatur Angelicus: (1) «Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptancem tantum, quandoque secundum iudicium tantum, quandoque secundum utrumque».

Modus quoque, quo menti humanae veritas a Deo manifestari potest, triplex distinguitur; videlicet, vel per signa sensibilia, vel per actionem in facultatem imaginativam exercitam, vel per actionem exercitam in intellectum; seu, ut verbis Angelici (2) utamur, manifestatio veritatis fieri potest «secundum visionem corporalem, quando aliqua corporalibus oculis divinitus

(1) Ed. *De Verit.* 12, a. 7.

(2) Ibid.



demonstrantur, ut manus scribentis Balthassari; et secundum imaginariam visionem, quando divinitus aliquae rerum figurae Prophetis ostenduntur, ut olla succensa Hieremiae, et equi et montes Zachariae; et secundum intellectualem, quando aliqua intellectui ostenduntur supra naturalem facultatem ».

**

Revelationis catholico sensu acceptae conceptus continetur et exprimitur per verba P. Pesch, (1) dum scribit: « Quaevis revelatio definiri potest: Veritatis per divinam testificationem manifestatio »; vel per verba d. Tanquery (2) scribentis: « Revelatio est manifestatio alicuius veritatis a Deo creaturee intellectuali factae praeter consuetum ordinem naturae ». Magis complete, revelationis catholicae conceptus traditur a Card. Zigliara (3) per verba: « Magisterium divinum, quod praeter exigentiam naturae docet creature rationales veritates divinas, quae, sive per se et absolute, sive per accidens et relative, excedunt vires intellectus creati ». Per huiusmodi definitionem, revelationem tum immediatam tum mediatam, veritates tum naturales tum supernaturales complectuntur. « Revelationem dicimus, - ait ad rem Card. Billot (4) - omnem locutionem Dei ad nos, sive per organum coniunctum, quod est humanitas hypostaticae unita Verbo, sive per instrumenta separata, cuiusmodi fuerunt sancti illi Dei homines, de quibus 2 Petri I-21. Quae etiam locutio terminata est, partim ad verbum orale, seu ore ipsius Christi, vel apostolorum eius, Spiritu Sancto dictante, sive scripto probatum, et partim ad verbum scriptum per ministerium hagiographorum tam veteris quam novi testamenti ».

Neminem latet, revelationem divinam, mentis divinae ac mentis humanae unionem importare; est enim actio quaedam vitalis, quidam mentis tactus, quaedam Dei locutio, quaedam divinae locutionis perceptio.

**

Modernistae, duce ipso Loisy, revelationis notionem a theologis catholicis traditam, tamquam « anthropomorphicam, ethnicam necon scientiae hodiernaeque philosophiae contrariam » reiiciunt, simulque revelationis notionem tali modo corrigere atque explicare conantur.

Quod revelatio appellatur, - asserunt illi, - non nisi conscientia relationis hominis cum Deo, per hominem ipsum acquisita, est, sicut christiana revelatio, in anima Christi est perceptio relationis, quae Deum cum Christo omnesque homines cum Patre caelesti unit. - Revelatio fit realis (*se réalise*) in homine; sed est opus Dei in ipso et per ipsum. Causa efficiens revelationis est supernaturalis, sicut supernatural est obiectum eius; causa enim haec, et huiusmodi obiectum Deus est; qui

(1) *Propaed.* n. 151.(2) *De Vera Relig.* c. 1, a. 2, n. 24.(3) *Propaed.* I, 2, c. 1, XI.(4) *De S. Traditione*, in proemio.

Deus, in hominem agit atque ab homine cognoscitur... Veritates quae, iuxta modum loquendi theologorum, revelationis substantiam constituunt, per idearum ac imaginum coniunctionem efformatae sunt; quaeque ideae, imaginesque ante veritates has in mente eorum, qui primitus eas cognoverunt, praeeexistebant. Principium revelationis, rudimentalis perceptio fuit relationis existentis inter hominem habentem conscientiam sui ipsius et ipsum Deum praesentem phaenomenorum mundo. Revelationis evolutio facta est per novarum revelationum perceptionem, vel potius per determinationem magis distinctam essentialis relationis ab initio praevise, dum homo melius ac melius Dei magnitudinem, obligationisque suae characterem ad Deum cognoscere coepit. Veritatum religiosarum perceptio, non unius rationis fructus est opus, sed intellectus moti, si ita loqui fas est, a sensu (*sentiment*) religioso et morali, necon a voluntate boni... Inter hominem silvestrem, quem Deus illuminat ut in cultu illius vitam adinveniat, ipsumque prophetam, qui est organum revelationis, quae veritatum omnium religiosarum perfectissima existit, in solo gradu luminis supernaturalis et in gradu extensionis obiecti a fide illuminati differentia datur; sed luminis qualitas ac huius obiecti substantia eadem sunt. (1).

**

Modernisterum hanc sententiam circa revelationis divinae conceptum tamquam erroneam breviter reiicimus.

Primo, sententia haec damnata fuit a Pio X (syllab., prop., 20) per illa verba: « Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia ».

Contra eamdem rursus haec quae sequuntur animadvertere placet:

a) Falsum est suppositum illius. Supponit enim divina Maiestate indignum esse, Deum homines docere, esse humani generis magistrum: dum tamen ipsimet Modernistae recognoscunt libenter, nihil dignius inter homines atque pro hominibus dari, quam veritatem docere, aliisque scientiam tradere. Quo iure igitur assere possunt, esse Deo indignum quod dignissimum in homine ac pro homine est? (2).

b) Falsa est notio, quam de revelatione catholica, qualiter a catholicis theologis explicatur, Modernistae sibi ipsis fingunt. Putant siquidem divinam revelationem, violentam esse idearum infusionem, vel actionem quamdam mechanicam; dum tamen scimus, actionem esse vitalem, nullamque violentiam inferentem. Revelatio

(1) Cf. *Autour d'un petit livre*, p. 192-193. *Revue du Clergé*, Janvier 1900, p. 239-60 - Cf. Epist. *Pascendi*, ubi Modernistarum sententia hisce verbis refertur. « Cum Fidei Deus obiectum sit aequa et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum ».

(2) Cf. *Bulletin de Litt. eccl. de Toulouse*, Janvier 1904, p. 78, Ibi P. Portalier contra Loisy scribit: « Il en appelle d'abord à la dignité divine: c'est un anthropomorphisme grossier et indigne de l'infini d'en faire le maître d'école de l'humanité. Etrange grief à une époque qui prétend diviser la science et l'enseignement de la science. En quoi messierait-il au Créateur, qui a daigné donner de son être à sa créature de lui faire aussi confidence de ces secrets? M. Loisy ne l'a jamais dit ».

enim locutio quaedam libera Dei ad homines est, libera communicatio intellectus divini ad intellectum huma-
num, voluntatis divinae ad voluntatem humanam.

c) In Modernistarum sententia non satis apparet, quomodo revelationis supernaturalitas, tum ex parte causae, tum ex parte obiecti eiusdem salvetur. Voce quidem huiusmodi supernaturalitatem asserunt; facto autem negant.

REGINALDUS FEI O. P.

M. Antonii Mureti notitia

Marci Antonii Mureti orationes in nostris paginis revocantes, quae propius rem nostram, litteras scilicet atque bonas artes, respiciunt, facere non possumus quin et vitae sapientissimi viri, qui renascentis humanitatis vindex inter primores ac decus exstitit, notitiam aliquam in lectorum intelligentiam simul atque commo-
dum repetamus.

Natus ille est in Galliae Aquitaniae suburbano opidi Lemovici, cui Mureto nomen, mense Aprili ann. MDXXIV, loco honestissimo, patre iurisconsulto eodemque genere perantiquo et nobili, quippe quod et pagum ipsum antiquitus possederit, unde etiam familia cognominata est. Ab ipsa pueritia Antonius admirabili ingenii magnitudine excelluit, ita ut vix ullam desiderare disciplinam visus fuerit, discipulosque prius habere coepisse, quam magistros; idque primum in patria sua, deinde vero Aginni, quae urbs princeps in Aquitania florebat. Heic summo duce et adiutore studiorum Iulio Caesare Scaligero usus est, viro in omni eruditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito, qui excellentissimum adolescentis ingenium admiratus, volens ac lubens rectam quae ad rerum scientiam ferret viam ei monstravit, quo sua eum natura ducebat. In qua tamen bonitate naturae - ait quidam eius vitae scriptor eiusdem temporis - atque ingenii abundantia tanta utebatur contentione animi atque industria, quanta utendum est homini, qui, quo minus ingenio potest, subsidio sibi comparat diligentiam, ut et ingeniosos diligentia vin-
cat, et ingenio diligentes; totum illud sibi tempus pe-
rire credit, in quo non aut doceat aliquid, aut discat.

Quum igitur aliquandiu moratus Aginni fuisse, ad doctrinarum Galliae domicilium, Lutetiam Parisiorum, profectus est, ubi, quum itidem ingenii divitias explicare coepisset, brevi ad se omnium studia atque ora con-
vertit. Novus - (sic in funebri oratione legimus, quam de eo Romae habuit Franciscus Benci S. I.) - videbatur exortus Demosthenes Christianis Athenis, ita docente Mureto et quidem adhuc peradolescente: con-
cursus audiendi causa ex tota urbe fiebant; magna hominum frequentia Gymnasium celebrabatur: ne pes quidem relinquebatur praemaxima audientium multi-
tudine ubi pedem doctor ipse ponere posset.... Nihil ferme aliud erat Lutetiae magis eo tempore in hominum

sermonibus quam Muretus, quem ipse etiam rex ali-
quando et regina, ut quod fama et auditione accep-
rant, re ipsa experientur, audire voluerunt.

Postquam, praeter Parisienses, litteras atque ius civile Pictavienses, Burdigalenses, Auscitanos atque Tolosanos edocuit, vix duodetriginta annos natus Venetias demigravit a Laureiano, Bembo, Contarenio, Soriano, Manutio summa familiaritate exceptus; pauloque post Patavium concessit, donec, anno circiter MDLX, ad summum illum doctorum Moecenatem Hippolytum Cardinalem Estensem, honestis condicionibus invitatus, se contulit; in cuius comitatu quum in Galliam rediisset, mox etiam legatione obita in Italiam revertit. Romam tandem an. MDLXIII, ipsius Purpurati Patris suasu, venit, uti Aristotelis ethicae publice interpretando explicaret; quod quidem ita perfecit, ut «Aristoteles quidem ipse Romae docere, sed Romano ore, et lux quaedam Urbi reddita veteris eloquentiae viderentur». (1) Item ius civile tradidit, neque ab iis libris explanandis absti-
nuit, ut Platonis, Senecae, Horatii, Taciti, Ciceronis, qui non solum acuere sed alere etiam ingenium solent. Sic ad vitae annum nonum supra quinquagesimum per-
venit; tune a Stephano Bathorio, Polonorum rege, in regnum suum amplissimis praemiis accersitus est, mo-
remque optimi principis voluntati gessisset, nisi Gre-
gorius PP. XIII, qui eum plurimi faciebat, cum sua sponte, tum magistratum admonitu, qui Mureto ipsi aliquot ante annos ultro Romanae civitatis ius pertulerant, egisset ne discederet. Quo factum est ut tan-
tum ei stipendium decerneretur, quantum fortasse un-
quam tum nemini. (2)

Ceterum vir erat etiam animi virtutibus valde commendabilis, inter quas, ex aequalium testimonio, benignitas et religio enitebant. Totus erat omnibus, eiusque aedes portus quidam, oraculum ac perfugium cui liberet; tantaque in Deum pietate, ut postremis vitae annis voluerit quoque sacerdotio initiari. Novem annos sacerdos vixit; «quo tempore tam sancte sacris ope-
ratus est, ut inter sacrificandum et lacrimas effunderet frequenter et easdem aliis excuteret... Saepe de morte senex, tamquam demigratione cum familiaribus disse-
rebat, ut ex pedibus aeger iam iam sibi esse migrandum domo, cuius fundamenta laborent, praedicaret... Triduo ante mortem sacrosanctum Christi Corpus suscepturus, omnibus qui eo convenerant praesentibus atque au-
dientibus, supplex veniam a familiaribus petiit, lacri-
mantibus omnibus qui aderant». (3)

(1) BENCI, ibid.

(2) Sic enim ipse Muretus ad Ioan. Zamoscium, Polonici regni Pro-
canceliarium (*Epist. I, 18*): «Praeter spem et opinionem meam accidit, ut quum me ad iter accingerem, atque istuc animo cogitationeque totus essem, subito ostenderet Gregorius Pont. Max. profeccionem meam sibi non placere, atque per viros summa auctoritate praeditos curaret, ne ex Urbe discederem; sibi curae fore, ut ne in Urbe deteriori conditione essem, quam quae in Polonia deferretur. Quin etiam ad quingentorum aureorum annuorum stipendium, quod mihi iam pridem constitutum erat, statim ducentos adiici iussit, mandavitque Datario suo primo quoque tempore quoque modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderent; ea re factum est, ut coactus sim deponere consilium quod ceperam...».

(3) BENCI, ibid.

Quid de eius studiorum navitate dicamus? Sunt et orationes plurimae Venetiis praesertim ac Romae, eaeque in consessu ipso Purpuratorum, habitae. (1) Poemata item, quae Romae pariter cum esset composuit; nam quae adolescenti annorum circiter viginti exciderunt et iuvenili quodam calore atque impetu in Gallia profudit, ea saepe Francisco Bencio, quem supra memoravimus, ceterisque familiaribus dicebat sibi adeo non placere, ut ne pro suis quidem agnosceret: tantum abest ut probaret. At senilia eius carmina pia sunt, erudita, iucunda; lusitque Graecis et Latinis versibus primae aetatis institutionem in gratiam M. Mureti, fratris filii. Hymnos quoque sacros, Mantuani Ducis rogatu, edidit, et Ferrariae eruditas de iure civili disputationes in quatuor libri primi Pandectarum titulos; h. e. de origine iuris - de legibus et Senatus consultibus - de principum Constitutionibus - de officio eius, cui mandata est iurisdictio.

Epistolarum exstat volumen ad familiares; exstant commentarii et scholia in veteres poetas Terentium, Horatium, in Catilinarias et Philippicas. Haec omnia ferunt ea ratione illum composuisse, ut nihil unquam bis scriberet, vix adeo bis legeret id ipsum quod scripsisset; non saepe aliquid mutaret, aut emendaret; rarius demeret, deleret: ita, cum uno quasi tenore omnia fluerent, nihil nisi aptum et accommodatum ad manum mentemque ei venire, ut multo meliora fortuito illi exciderent quam alii, qui eandem assidue incundem tundunt, excidunt labore; totum denique sic in studio esse, ut ad summum singulis noctibus somno quinas horas, quaternas plerumque, aut etiam ternas indulgeret.

Obiit Romae pridie Non. Iun. an. MDLXXXV, atque sepultus est ad SS. Trinitatis in colle hortulorum, apposito eius tumulo supremo titulo, qui sequitur:

*Hic Marci caros cineres Roma inclyta servat,
Quos patria optasset Gallia habere sinu:
Stat colle hortorum tumulus, stat proximus astris,
Quae propius puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrumanas asperge, viator,
Et dic: Heu linguae hic fulmina fracta iacent.*

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum
et earum artium quae litteris continentur. (2)

Cum mihi a summis viris, quorum auctoritate, atque imperio nostra omnium studia diriguntur, mandatum esset, ut hodierno die, quo, ut scitis, more maiorum, noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de praestantia litterarum, et earum artium quae litteris continentur, aliquid publice dicerem, quo iu-

(1) Alloquutus est etiam S. R. E. Cardinales quum subrogandi Pontificis gratia conclave ingressuri essent; atque in templo Vaticano ann. MDLXXII laudes dixit Pii V. Pont. Max.

(2) Habita Romae xv Kal. Novembr. ann. MDLXXXIII,

num animi ad earum amorem incitarentur: quod prius facere debueram, sed inconsueto quodam obsequendi studio abreptus non feceram; coepi oneris suscepti magnitudinem cum viribus meis sollicite comparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar, ut mihi nihil arduum, aut difficile impositum crederem. Nam, ut Cyrenaeus poeta facile ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot, tantaque laudum argumenta sint: ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque indiserto laudare eas artes, quas vere, ac merito bonorum fontes nominare possumus. Neque enim dubitabam, quin omnium concessu multo iustius artibus nostris, quam illis, de quibus id Xenophon dixit, honos huius nominis tribueretur. Cogitabam etiam tum demum in summa me difficultate versaturum fuisse, si eas aut, quod nefas est, vituperare iussus essem, aut earum dignitatem abiicare et extenuare dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicuius momenti esset, ad eam rem reperire potuissem. Quod si Socrates praesente Phaedro amorem vituperaturus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit, multo me magis verecondari par fuisset, in tanto eruditissimorum hominum coetu declamantem adversus eas artes, quarum omnes dignitate, ac pulchritudine, ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam incundam putetis. Nunc, ut idem ille sapientissimus senex factu facile esse ait Athenienses Athenis laudare, quod, quae quisque amat, ea libentissime laudari audit, sic et ipse mihi videbar facilem et expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quae vobis omnibus in amoribus, ac deliciis esse constaret. Sed interdum occurabant alia, quae me commoverent, nec quieto esse, ac seculo animo sinerent. Nam et in tam ubere ac copiosa materia necesse est, unicuique audientium multa in mentem venire, quae commode dici queant, neque fieri potest, ut quidquid omnes cogitant, dicat unus, et ea est hominum natura, ut, cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt; non hoc quoque dici potuisse, sed hoc potissimum dici debuisse contendat. Ita dum pro suo quisque captu quid ipse dicturus fuerit cogitat, et alia prope omnia fastidiens, dum id unum dicatur avide exspectat; quidquid dixeris, semper videberis omisso praecipua; et omnia communia ac contrita dixisse, quo ea non dixeris, quae si dixisses, ipsa quoque aliis obsoleta et vulgaria viderentur. Ut melior hac in parte sit eorum condicio, qui aridis, ac sterilibus in argumentis versantur, quorum, sive abundarunt, laudatur ingenium; sive defecerunt, materiae ieunitas accusatur; cum contra, ubi ampla dicendi seges est, quidquid allatum est, ubertati materiae adscribatur; quidquid omissum est, tibi. Ego vero quomodo aut quidquam allaturum esse me sperem, quod novitate audientium animos teneat, cum iis in rebus mea versatura sit oratio, in quibus praestantissima se omnium aetatum ingenia exercuerunt, aut ita dicturum, ut non innumerabiles

alii iisdem de rebus ornatius ac copiosius dixerint? Sed mihi neque valde laborandum est, ut nova conquiram; non enim cantilenae sunt hae, quibus novitas, ut ait Telemachus, conciliat gratiam, sed praecepta, quibus vetustas addit auctoritatem; et si vera, utilia, apta ad id quod mihi propositum est, digna huius loci auctoritate, digna vestris auribus attulero, quibus ea cumque verbis extulero, hoc ipso me satis ornate dixisse arbitrabor. Agite igitur, viri praestantes, et cum aliis nominibus, tum praecepue harum de quibus dicere ingredior artium cultu et tractatione clarissimi: agite studiosi adolescentes, quorum mollis adhuc, et tenera aetas in eiusdem gloriae spem eodem quasi lacte Musarum educatur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qui instinctu quodam afflatuque divino ad eas potissimum artes animum appulisti, quibus, sive quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius; sive oblectationem, nihil suavius, ac iucundius; sive splendorem ac pulchritudinem, nihil illustrius, aut ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Nam si veteres illi, qui errore ducti plures esse Deos opinabantur quem cuique eorum diem consacrarent, eo laudes ipsius commemorare ac concinere solebant: multo nobis iustior caussa est, quicumque iisdem honestissimarum artium studiis, quasi quibusdam sacris initiati sumus, cum hic nobis anniversarius dies, maiorum sapientia et auctoritate, ad intermissam per aliquot menses earum exercitationem deintegro repetendam constitutus sit, cur ab earum commendatione principium ducere debeamus, easque celebrare, quas nobis vicissim aliquid celebritatis allaturas esse confidimus. Meminisse autem debemus idcirco hunc sanctum, atque augustum locum ad hanc rem delectum esse, ut et in laudandis artibus Deum ipsum laudemus, qui, ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit; et publice contestemur, ac profiteamur studia omnia, laboresque nostros et Deo auctore, atque auspice suscipi, et ad ipsius gloriam, tamquam ad finem nobis omnibus praecepue propositum, referri.

Unde igitur, in tanta eorum quae se ad dicendum offerunt copia, potissimum exordiar? An ab eo quod semper apud gravissimos quosque gravissimum fuit, antiquitatis testimonio? Quae cum artes omnes bonae sint: nam si quae malae artes dicuntur, immerito eis artium nomen tribuitur, has tamen nostras proprio, ac peculiari nomine bonas artes vocavit: easdemque artes ingenuas, artes liberales, quod alias aut a servis, aut ab hominibus servili praeditis ingenio exerceri, has unas ab ingenuis, ac liberis excoli consentaneum iudicaret. Quin etiam cum Graeci earum cognitionem, sua lingua, tali quodam vocabulo affecissent, ex quo id modo intelligeretur, statim a pueritia dandam eis operam esse: maiores nostri hoc, ut pleraque melius ac sapientius, qui totum hoc artium genus *humanitatem* vocarunt; credo, indicantes, non multo minus inter homines talibus disciplinis expolitos, et vulgus aliorum

quam inter ceteros et pecudes interesse. Homines enim duabus praecepue rebus a ceteris animantibus discernimur, ratione, et rationis interprete oratione, quarum utraque in eis, qui harum artium expertes sunt, rudit quodammodo et inchoata; qui eas bene penitus combiberunt, perfecta illis, atque absoluta est. Aristippus quidem, cum quaesiisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset: si nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non sedebit. Idemque alteri, qui cum sibi nimium magnam mercudem posci pro institutione filii videretur, dixerat: Ista pecunia servum mihi emere possum: — Tu vero, inquit iocans, — etiam hoc amplius: si unum emeris, duos habebis. Significavit videlicet, quorum collistratus doctrinarum luce non esset animus, eos lapidum, non hominum, aut, si forte, inter homines, servorum, non ingenuorum, loco ac numero esse habendos.

Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quattuor omnino esse viae videntur, quarum unam aliquam a principio aetatis capessere, ac postea persequi prope necesse sit, ex quibus ne dubium quidem esse potest, quin ea, quam ipsi ingressi estis, longe multumque aliis omnibus anteponenda videatur. Nam qui ista aetate sunt, partim otio se atque ignaviae dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii praesertim quibus amplum patrimonium est, partim si angustior sit res, quam ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam facilitandam: aliis, qui excelsiore sunt animo, armorum tractationem, et militaris rei gloriam sibi proponunt: alii denique animum ad litteras et ad haec mitiora studia appellunt. Quid igitur istis turpius aut abiectius, qui, torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? Qui, ut Phaeaces illi Homerici,

*Non pugnis, durave exercent membra palestra:
Sed mensam et citharae strepitum, dulcesque choreas,
Stragulaque et molles curant post balnea lectos.*

Margitae illius simillimi, de quo idem Homerus:

*Non fodere ille bonus, durisve ligonibus arva
Vertere, non ulii vivebat idoneus arti.*

Sic enim et hi neque domi, neque militiae, neque privatim, neque publice, neque sibi, neque aliis utiles, ita vitae curriculum conficiunt, nt, veluti naves, nullum sui vestigium relinquant. Qui mihi, si diis placet, quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupati sint: nobis maiorum nostrorum virtute est, unde otiosi laute splendideque vivamus. Quid maiores vestros nominatis? Qui si vestri similes fuissent, vos hodie in postremis iaceretis. Si quales vos estis, tales ipsi fuerunt, indigni sunt qui nominentur; sin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At videte, quantopere a sapientissimi poetae Hesiodi iudicio vestra ratio discrepet. Laborem ille, et industriam nemini, languorem et ignaviam omnibus

turpem esse confirmat. Praeclare Cicero: Mihi quidem, — inquit, — qui nihil, agit, esse omnino non videtur. Nam et physici docent, quae cuique rei caussa est, ut sit, eamdem ei esse caussam, ut aliquid agat.

Sed omittamus hos molles et delicatos, neque eos ex somno, cui tam libenter indulgent, excitemus: teneamusque id quod a sapientissimis viris proditum est, nihil esse inertia foedius: otio ali vitia: otium, ut non gravissimus poeta gravissime tamen cecinit Catullus, non privatis modo hominibus, sed et regibus, et prius beatis urbibus exitii caussam fuisse. Cum igitur otiosa et ignava vita ne vita quidem habenda sit, videamus num ad aliquam potius aliarum artium, quam ad litteras, animum abiicere praestet. Evidem cum mente ac cogitatione perlustro eas artes, quibus cum hisce studiis nostris, aut nulla, aut non magna communio est, ex iis quidem quae ita necessariae sunt, ut eis civitas nullo modo carere possit, duas praecipuas iudico, agriculturam, et mercaturam: ex iis autem, quae ad ornamentum civitatis, et ad animos honesta voluptate perfundendos pertinent, duas minime sordidas, minimeque illiberales, picturam, et statuariam. Nam quod boni unaquaeque civitas percipere ex suo et patrio solo potest, id agricultura educit, atque elicit; quo eget, id aliunde mercatura comportat. Ita civitas sine alterius ope ne suis quidem opibus fruitur; alterius beneficio, fruitur etiam alienis. Pictorum autem, et statuariorum opera, et voluptatis atque admirationis habent plurimum, et, quae liberalium artium nota est, ingenii, non corporis, viribus constant: et ad conservandam elatorum virorum memoriam, ceterosque ad eorum imitationem incitandos non immerito magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis ausit harum artium ullam cum litterarum studio comparare? Nisi forte maius est agrum, quam ingenium, colere, aut iacta in terram semina, depactive surculi, quam ingenia praeceptis philosophiae consita, ampliores, aut ubiores fructus ferunt.

Mercatura autem vel si tenuis est, sordida est: vel si ampla, tot exposita periculis, ut merito ille olim Laco negaverit, optabilem sibi videri fortunam, quae rudentibus apta esset; cui cuimodi autem sit, tota fere ad quaestum, et ad lucrum refertur. At litterarum tractatio et dignitatis plenissima est, et quietis: et eas opes consecutur, quae nec furem, nec praedonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiae sunt nec ullis denique casibus eripi possunt. Iam vero quae Apellis aut Protogenis tabulae, cum Homerici pictura; quae Phidiae, aut Praxitelis statuae, cum litterarum monumentis conferri queant? Quos ipsos hodie ignoraremus, nisi solidorem, ac diurniorem gloriam essent commendatione scriptorum, quam artis suaे operibus, consecuti. Nam quae illi artificio suo elaborarant, et solius corporis effigiem exprimebant, et uno tantum spectabantur in loco, et eam naturam habebant, ut ea si nihil aliud, ipsa certe longinquitas temporis confectura, ae consumptura esset. At eruditorum ho-

minum lueubrations et clarorum virorum non formam modo corporis, sed ingenia, mores, consilia, res gestas subiiciunt oculis, et iisdem, quibus orbis ipse terrarum, terminis ac regionibus continentur, et tantam vim habent, ut illa ipsa aliorum omnium humanorum confetrix vetustas his unis non modo nihil detrahatur, sed maiorem in dies comparet, ac conciliet dignitatem. Trecentas sexaginta Demetrio Phalereo statuas aereas populus Atheniensis anno uno, eoque non toto posuerat, quibus omnibus Demetrius ipse superstes fuit. At quae ipse sibi monumenta ingenii ac doctrinae magnitudine exstruxerat, ea et multis post ipsum saeculis vigerunt; et, cum postea densa quaedam et opaca nox omnem prope disciplinarum lucem extinxisset, et oculis crepta, incredibile desiderium sui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elate et magnifice de se, ut solet, Pindarus, sed tamen vere. Statuarium esse se negat, qui mutas statuas edolet una defixas in basi; sed quos ipse cantibus suis celebrat, eorum famam, terra mari que spargi ac disseminari.

Sed erunt fortasse qui vitam militarem huic nostrae pacatae, atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propositum est, neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicenscendo aliquid possunt, omnem industriam ad eos celebrandos conferendam censeo, et hoc ipsum numero inter praecipua bona, quae ab artibus nostris in vitam hominum manat, quod earum ope praeclara illorum facinora ad immortalem posteritatis memoriam convererant. Sed tamen si quis secum in animo reputet, quae vita sit eius hominis, qui modicis opibus instrutus, in litterarum studio molliter ac placide consenserat, et quam eius, qui ab adolescentia armis tractandis assuetus, sub dio saepius, quam sub tecto, sub pellibus saepius, quam domi somnum capiat, vix dubium fore arbitror, utra melior, et magis expetenda sit. Alterius aures tubarum et lituorum, et cornuum clangore, alterius Musarum concentu et Apollinis fidibus adsidue personant, illius oculi caede et sanguine, et incendiis; huius admirabilium naturae operum adspectu, et contemplatione pascuntur. Ille aut in ipso aetatis flore hostili gladio transverberatur, aut mancos ac debiles artus, et insignem cicatricibus vultum referens, domum redit: hic ut animo ita et corpore integer, vultum, nisi quantum rugae, canique venerationi addiderunt etiam nutrici agnoscendum, prefert ad ultimam senectutem.

(Ad proximum numerum).

Vid. in pag. 1 maximi momenti

SOCIIS MONITUM

HORAE SUBSECIVAE

PEREGRINUS

(Cecinit P. PRERADOVIC; e Croatico idiomate
in Latinum vertit I. BARKOVIC).

« O aeterne Deus, qua vagus ambulo!
Tristis me reperit nox solo in extero,
Trames me fugit, et nescio semitam,
Plantas saxa meas aspera vulnerant,
Desertum horificum panditur undique!
Optatum hospitium nullibi comperi!
E clivo Boreas in faciem nivem
Diffundit gelido, dum miser advena
Maiores tenebras in tenebris videt,
Necnon dura humus huic fit modo durior!
Nigrescunt tenebris omnia, Cynthia
Velata facie conditur abdita,
Nubes surripiunt lucida sidera:
O dulcis genitrix, o utinam tuam
Fidam progeniem perspicias amans!
Maternis oculis si modo cerneret
Oppressam hanc miseris casibus undique,
In fletum nimium lumina solveres,
Ac ex tristitia contremeret tua
Nati colla petens, o genitrix, manus!
Quare consilium non tenui tuum,
Quod crebro mihi tam sollicite dabas:
Ne longe, genite, a matre migres tua,
Mollem continuo quae tibi lectulum
Materno in gremio provida praeparat!
Ne cedas, soboles, pars animae meae,
Ne dulces patrios destitutas Lares,
Namque externa suis patria casibus
Vexatur miseris, dum tui eam latent,
Externusque suas diligit usque amor!»
Haec secum tacitus verba loquens gradu
Inconstante humilem pervenit ad domum,
Quam mox intuitus languidus advena
In clausis foribus signaculum dedit.
Paulatim reserans, ac animo movens,
Infelix modo quis possit adesse ibi,
Albam canitiem monstrat anus tremens:
« Oro (perque Deum, mater, id obsecro)
Hic nocturna sinar tempora ducere!
Prorsum ignoro, ubi sim, qua vagus ambulem,
Tristis me reperit nox solo in extero,
Trames me fugit, et nescio semitam,
Plantas saxa meas aspera vulnerant
Desertum horrificum panditur undique!
Quod nunc hospitium comperiam alterum!
E clivo Boreas in faciem nivem

Diffundit gelido, dum miser advena
Maiores tenebras in tenebris videt,
Necnon dura humus huic fit modo durior!
Nigrescunt tenebris omnia, Cynthia
Velata facie conditur abdita,
Nubes surripiunt lucida sidera:
Infra tectum alieno excipe sanguine,
O dulcis genitrix, hospitio satum!»
« Te, fili, hospitio susciperem libens,
Sed somno placido corpora conspicis
Donantes genitos tres ibi filios,
Qui totum spatium in visceribus meis,
In totaque domo largiter occupant!»
« Mox duro dabitur clara dies solo,
Iam galli vigiles muta silentia
Noctis discutiunt, dumque fugaverit
Sol noctem gelidam, sollicita folum
Saltem, ut calfaciam membra trementia!»
« Ignis iam cineri suppositus deest,
Et paucissima sunt ligna modo mihi,
Ac his, interior quae domus excipit,
Cras dulces pueri protinus indigent,
Cum mane adveniunt ad calidum folum.»
« Orante, o genitrix extera, convena,
Ut quiddam tribuas, omnibus indiges,
Externus genitus non tibi pertinet!»
His dictis lacrimae continuo duae
Stillarunt in humum ex luminibus suis.
« Molles matris ubi sunt digiti tuae,
Qui nati lacrimas tergere calleant?
Amplexusque pius, qui tibi languido,
Ac lasso pateat, pondera sublevans
Curarum? Sita ubi, dic, tua patria est?»
His dictis veluti terrificus tremor
Oppressit subito triste cor advenae,
Immotusque manens sidera conspicit,
Dum sudor gelidus membra rigat sua,
Et casus prohibet corde revolvare.
Ast illuc oculos volvit, ubi sua
Per dulcis residet patria, quo loco
Omni mane suis sol fugat astra equis,
Illuc allicitur nunc nimia siti!
« Ad te nunc animus denuo tollitur,
Ad te nunc trahitur denuo cor meum,
Fortunae genitrix, patria amabilis,
Ad te nunc properat denuo filius,
Laetusque in lacrimas denuo solvitur!
Amplexare tuum denuo filium,
Et tantum tuus hic usque vocabitur,
Omni tempore te diligit, in tuo non eripiat mire
Campo funereum constitue huic decus,
Quod Florae decora muneribus tuea!»

HORATIUS.


AUTUMNALES EXCURSIONES

DE DOMO GEORGII WASHINGTON.

Autumni tempore, dum aliqua requies a consuetis laboribus nobis concedi solet, iuvat ad animum relaxandum viresque reficiendas itineri se committere, licet tam breve id sit, ut peregrinatio nostra potius ac verius excursio tantum vocari possit. Mihi igitur vos, humannissimi lectores, hodie comites praebeatatis, qui ad Georgii

Americae maximum, unde colligi liceat quaenam fuerit vitae domesticae ratio apud veteres illos nostros camporum consertores; quos inter Washingtonus adnumerandus, quem iure meritoque cognomine *Magni* nos distinguimus.

An. MDCLXXIV, ex *lord* Culpepper concessione, terrae ambitus per quinque millia *acrorum* patens in occidentali ripa fluminis Potomac, ad quindecim millia passuum ab hodierna septentrionalis Americae urbe capite,



Aditus ad domum Georgii Washington

illius Washingtini, Americani herois nostri, domum adducem.


En modestum, in amplio arborum ac pratorum recessu; ex portico pariter alba solarium regente, apte retro productum, albo colore praefulgens a nobis petitum domicilium! Aditus est per ligneum cancellum valde iis familiarem, quibus consuetudo est cum colonicis nostris ad instar Anglorum rusticationibus; primo obtutu gratia quaedam cum dignitate coniuncta, certumque indicium vitae simplicis, tranquillae, a quo vis urbano cultu remotae, studiose nos attrahunt. Auctoritas enim historica non tam directe hic nos allicit, quam aetatis ac styli repraesentatio satis nobis proximorum, nostrorumque morum atque ingenii satis affinium, ut ad hodiernam quoque nostram vitam plura rerum adiuncta possint revocari. Nostra interest igitur non solum Washingtoni aedes has reapse esse, sed etiam hoc esse monumentum in Civitatibus Foederatis Septentrionalis

Ioannis Washington ac Nicolai Spencer proprietas fit. Dimidia huius possessionis pars hereditario iure ad Laurentium Washingtonm pervenit, qui an. MDCCXLIII habitationem ibi extruxit, locumque Mount-Vernon ex nomine Anglici navarchi, sub quo stipendia fecerat, appellavit. Laurentii huius frater, ex eodem patre tantum natus, Georgius noster erat, qui fundum an. MDCCLII hereditate pariter acquisivit, auxitque, donec, eo vita functo, an. MDCCIC omnia ad viduatam uxorem transierunt, et post eius mortem quatuor nepotes sibi diviserunt. Ita factum est ut supellectilium, quibus Georgii Washingtoni domus nunc est instructa, pars tantum vera sit; cetera per chronologicam, ut ita dicam, restitucionem sunt indueta.

Quod quidem nunquam satis laudabile opus mulieri nomine Cunningham ex civitate Carolina australi maxime debemus. Haec enim an. MDCCCLVI sollicitudine permota, ne prae familiae privatis eventibus tanti viri

memoriae distraherentur, quin imo dilaberentur, auctrix fuit ineundae societatis, quae pretio redimeret fundum Washingtonianum. Huiusmodi societas in quaque Americani septentrionalis foederis civitate foemineum coetum


stylio, ecce hinc hortus, buxeis saepibus iisque diligentissime recisis affabreque dispositis insignis, inde pomarium. Mos erat apud Washingtoniam gentem, non aliter atque apud plerasque antiquas nostras familias,



Washingtoniae domus prospectus posterior.

habet, cui singulare munus, sive alterius ex cubiculis, sive alicuius praedii aut adnexorum conservatio, aut etiam instauratio. Sic sensim reperta atque comparata per pecuniam sunt supellectilia plura originalia; alia depositi loco data; quae decessent, rebus temporis consonis substituta.

ut qui clarus hospes adveniret, arborem sereret: itaque etiam nunc nobis ostenduntur quae Ieffersonus, quae Lafayettus posuere; itemque rosetum ab ipso Georgio matri dilectissimae dicatum. Ulterius servorum casae sunt longulae atque demissae; dum ex adverso, prope domum stabula invenimus, antiquissimum fund



Cubiculum dormitorium Georgii Washington.




Stabula in praedio Washingtonio.

*
**
At praeter cancellum procedamus. Quum amplum pratum aliquanto pererraverimus, priusquam ad albicantem domum perveniamus, nobis columella obiicitur, in qua solare horologium est descriptum. Poshabito peri-

aedificium ex lateribus ex Anglia advectis. Est quoque umbraculum Potomac prope flumen ad aestivos calores evincendos, sub quo effossus fuerat locus, quo glaciatae moles contra anni fervorem stiparentur; sunt denique gentis sepulera simplicitate simul et gravitate excelentia.

Sic in harum aedium ambitu manifestatio quaevis, aut quaevis vitae commoda praevisa, repleta, ac prope dicam nobili imagine, quamquam sine pompa aut ostendit.



"Washingtonius hortus."

tatione, exhibentur. Convenientia consensusque haec sunt, quae in hodierna vitae vivendae agitatione, ne dum assequi, ne cogitare quidem valemus!

A. A. B.

DE LEONE XIII P. M. COMMENTARIUS⁽¹⁾

Ad haec, ut si iam universa Pontificis arbitrio gererentur, Bismarkus cum Rege Hispaniae statuit belli de Philippinis insulis facere finem, eamque rem consilio Leonis XIII permittere. Sic princeps mitissimi ingenii, inter horrentes iam armorum strepitum, pacem mortali bus in iustitia suadendo, in omnem late orbem terrarum est dominatus. Pietas eius fuit si Bismarkus, qui apud Imperatorem cognomento *Victorem* versabatur, eique magno esse poterat usui, quod reminisceretur, sua praesertim opera Napoleonem Galliamque universam superasse, rerum multitudine fractus, inferior discessit. Quinimo adeo facile est a potestate percusus, ut vix filius imperio potitus est, ipse sit exactus. Ex quo intelligi potest nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum.

XI. — Leonis XIII Opera.

De operibus huiusce Pontificis dicturo, ea statim rerum multitudine occurrit, ut optimum factu putem,

quo iter expeditius faciam, de die in diem quasi rem meam dividere ac propemodum ex genere disponere. In omnibus se parem temporibus rebusque praebens atque advigilem custodem, nunc religionis veritates ab adversariorum calumniis defendit, nunc suos de praceptoribus erga Christianam sapientiam amplissime docet, nunc demum perdifficilem de opificibus quaestionem nactus, quae iamdiu doctos homines torquet, hac de re cum electissimo quoque in campum decertaturus solidissime contendit. Nec timidius iudicium usurpare praesumit; sed tamquam sibi a Deo oblatum, munere suo fungi solemniter praedicat, hancque solam hominibus misereaborantibus viam salutis divinitus ostendit.

Genus humanum malis undique premi cernit; eius est itaque tot miseriarum fesso remedium aliquod adferre. Et tamquam

Pater studiose monet, ut iudex damnat, et omnes ad munera sua obeunda sapientissime hortatur.

O fortunatos cives sua si bona norint! si dociles divinitus datum gravemque magistrum auscultarent!

« Ab ipsis Nostri Pontificatus exordiis, - ait, - tristis Nobis se se offert conspectus malorum, quibus hominum genus undique premitur; haec tam late patens subversio supremarum veritatum, quibus, tamquam fundamentis, humanae societatis status continetur; haec ingeniorum protervia legitimae cuiusque potestatis impatiens; haec perpetua dissidiorum causa, unde intestinae concertationes, saeva et cruenta bella existunt; contemptus legum, quae mores regunt iustitiamque tuentur; fluxarum rerum inexplebilis cupiditas et aeternarum oblivio usque ad vesanum illum furorem, quo tot miseri passim violentas sibi manus inferre non timent; inconsulta bonorum publicorum administratio, effusio, interversio; nec non eorum impudentia qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut patriae, ut libertatis et cuiuslibet iuris propugnatores esse videantur; ea denique quae serpit per artus intimos humanae societatis letifera quaedam pestis, quae eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit ».

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

OVID., de Remed. u. f., I.

(1) Cfr. num. sup.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

**Ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide pro
negotiis ritus orientalis.**

DECRETUM quo statuuntur mutuae relationes disciplinares inter episcopos latinos canadenses et episcopum ruthenum illius regionis, nec non inter clerus et fideles utriusque ritus.

Fidelibus ruthenis in regione Canadensi commorantibus superiore anno datus est Episcopus eiusdem ritus, qui ordinaria potestate eos regat ac gubernet. Ne autem propter diversitatem ritus ac disciplinae dissensiones oriuntur inter fideles ruthenos et latinos, sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando praeposta pro negotiis Rituum Orientalium, in plenariis comitiis diei 11 huius mensis, omnibus rite ac mature perpensis, quae sequuntur *ad decennium* statuenda censuit ad relationes mutuas episcopi, presbyterorum ac populi rutheni ritus cum episcopis, presbyteris ac populo latini ritus illius regionis componendas.

CAPUT I.

De Episcopo rutheni ritus.

Art. 1. — Nominatio Episcopi rutheni ritus pro regione Canadensi, Apostolicae Sedi est unice et omnino reservata.

Art. 2. — Episcopus rutheni ritus sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate est. Plenam autem iurisdictionem ordinariam et personalem exercet in omnes fideles rutheni ritus in regione Canadensi commorantes, sub dependentia tantum R. P. D. Delegati Apostolici pro tempore.

Art. 3. — Eidem ius ac potestas competit regendi ac gubernandi gregem suum, ac leges et statuta condendi in iis quae iuri communi non adversantur. Ipsius insuper munus erit vigilare ut tum doctrina et boni mores, tum ritus et disciplina Ecclesiae Orientalis catholicae integre custodiantur.

Art. 4. — Episcopus missiones ruthenas frequenter et regulariter visitare districte tenetur, ut gregem sibi conereditum apprime cognoscat, eaque omnia quae ad spirituale eius bonum attinent, melius provideat. Ad quod facilius assequendum utile erit universum territorium Canadense in regiones dividere, prout melius in Domino iudicaverit, quarum unaquaeque successive visitetur, ita ut unoquoque saltem quinquennio omnes missiones ruthenae episcopali subsint visitationi.

Art. 5. — In visitatione rationes ab unoquoque rectore missionis exposeat administrationis bonorum missionis eiusdem, curabitque ne rector nomine et iure proprio ea retineat, pro quorum acquisitione fideles quovis modo subsidia contulerint. Ut autem securitati bonorum temporalium ecclesiarum summa cum diligentia prospiciatur, eiusdem erit, auditio in pertractandis negotiis virorum peritorum consilio, eas tituli possessionis formas adhibere, omnesque praescriptiones servare, quae civilibus legibus singulorum locorum respondent, quaeque ecclesiasticorum bonorum administrationi, conservationi, ac tutae transmissioni faveant.

Art. 6. — Controversiae, si quae exoriantur inter

Episcopum rutheni ritus et episcopos latini ritus Canadenses, deferantur in devolutivo tantum ad Delegatum Apostolicum Canadensis regionis, salva, item in devolutivo, appellatione ad Apostolicam Sedem.

Art. 7. — Ordinaria residentia Episcopi rutheni ritus erit in urbe Winnipeg.

Art. 8. — Ad constituendam annuam stipem pro sustentatione Episcopi, donec redditus stabiles habebantur, concurrere debent singulæ ruthenæ communites, eidem solvendo, ad instar cathedralici, annuam præstationem certam et moderatam, ab ipso secundum aequitatem determinandam.

Art. 9. — Episcopus quinto quoque anno plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico, qui eam transmittet ad S. Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis; atque iuxta morem apud episcopos Canadensis regionis inductum, singulis saltem decenniis ad sacra Apostolorum limina accedat, ut obsequium et obedientiam suam Pontifici Summo praestet, eique rationem reddat de pastoralis munera implemento, deque omnibus quae ad ecclesiae suae statum et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque sibi conereditarum salutem pertinent.

CAPUT II.

De Clero rutheno.

Art. 10. — Cum nondum habeantur sacerdotes rutheni qui vel nati vel saltem educati sint in regione Canadensi, Episcopus rutheni ritus, prævia intelligentia cum Delegato Apostolico, omni studio curet ut Seminarium pro clericis ruthenis in Canada educandis quantocius instituatur. Interim vero clerici rutheni in Seminaria latinorum de consensu Ordinarii admittantur. Sed nonnisi qui se coelibatum perpetuo servaturos coram Episcopo promiserint, in Seminarium sive nunc sive in posterum admittantur; et nonnisi caelibes ad sacros ordines in regione Canadensi exercendos, promoveri poterunt.

Art. 11. — Ad sacrū ministerium exercendum apud fideles rutheni ritus non admittantur sacerdotes nisi sint caelibes vel saltem vidui et absque liberis, integri vita, zelo ac pietate praediti, sufficenter erudit, lucri non cupidi et a politicis factionibus alieni.

Art. 12. — Antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum ruthenorum qui in Canadensi regione educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Episcopus rutheni ritus idoneum sacerdotem caelibem, vel saltem viduum, postulet ab episcopis ruthenis vel Galitiae vel Hungariae per tramitem S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis. Illi vero sacerdoti sive uxorato, sive viduo, sive caelibi, qui proprio marte, neque ab Episcopo rutheno vocatus, neque a S. Congregatione missus, illuc perrexerit, Episcopus ruthenus nullas concedere potest facultates, sive celebrandi Sacrum, sive administrandi sacramenta, sive munia ecclesiastica quomodoemque obeundi.

Art. 13. — Sacerdoti ex Europa mittendo praedicta S. Congregatio tradet documentum quo ipsi concedatur facultas ad assumendam spiritualem curam fidelium

rutheni ritus sub dependentia Ordinarii rutheni Canadensis.

Art. 14. — Quilibet ruthenus sacerdos ex Europa proveniens et in Canadensi regione commorans pro fidelium rutheni ritus spirituali cura, semper manebit incardinatus dioecesi originis; attamen Episcopus ruthenus originis, iurisdictionem suam in eum nullimode exercebit, quoadusque ipse in Canada commorabitur: omnino et unice pendeat a iurisdictione Episcopi rutheni Canadensis.

In patriam autem supradicti sacerdotes redire aut revocari nequeant absque expressa licentia Ordinarii Canadensis, in scriptis concedenda.

Art. 15. — Laici rutheni, cuiuscumque originis ac domicilii fuerint, qui sacros Ordines in Canada suscipere cupient, sub omnimoda iurisdictione manebunt Episcopi rutheni Canadensis, in cuius manus iuramentum missionis seu stabilitatis ad inserviendum in territorio emittent.

Art. 16. — Omnes rectores missionum ruthenarum Canadensis dominii sunt amovibles ad nutum Ordinarii rutheni. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. 17. — Datur tamen facultas presbytero amoto appellationem interponendi, in devolutivo, contra decretum remotionis ad tribunal Delegati Apostolici, qui intra tres menses a die appellationis causam definire curabit, salvo semper iure recursus ad Sanctam Sedem, item in devolutivo.

Art. 18. — Sustentationi sacerdotis providebit Episcopus, salario eidem adsignando assumendum ex omnium ecclesiae proventuum massa seu cumulo.

Art. 19. — Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario rutheno iuxta probatas diversorum locorum consuetudines. Ea tamen privato arbitrio extendere ad sacras functiones a taxa immunes, aut illa ultra taxam determinatam exigere, omnino vetitum est. Caveant insuper sacerdotes rutheni ne iura illa a vere pauperibus exigant; ac omnino vetitum est ea extorquere sub comminatione dilationis baptismi vel benedictionis matrimonii, aut fidelem solvendi incapacem excludere a quacumque sacra functione.

Art. 20. — Sacerdotes latini ritus qui a S. Congregatione de Propaganda Fide facultatem obtinuerunt transeundi ad ritum ruthenum in auxilium Episcopi rutheni pro spirituali adsistentia fidelium ruthenorum, quoadusque in ritu rutheno permanebunt, unice et omnino sub iurisdictione Episcopi rutheni erunt. Sacra Congregatio autem vehementer hortatur episcopos latinos Canadenses clero locupletiores, ut Episcopo rutheno in animarum bonum aliquot sacerdotes ad tempus concedant, si ab eodem requirantur.

Art. 21. — Si qui vero sunt sacerdotes regulares qui transitum ad ritum ruthenum obtinuerunt, ipsi in his quae ad vitam religiosam spectant, a propriis superioribus regularibus; in his vero quae ad curam animarum et ritum ruthenum pertinent, ab Episcopo rutheno dependent.

Art. 22. — Episcopus ruthenus nonnisi in clerum et populum ruthenum iurisdictionem suam exerceat;

si tamen aliquo in loco existant fideles rutheni ritus, in eoque nondum sit missio ruthena constituta, aut nullus adsit presbyter eiusdem ritus, poterit tunc iurisdictionem suam in fideles ruthenos presbytero latino loci communicare, certiorato Ordinario.

Art. 23. — Poterunt insuper episcopi latini Canadenses, certiorato Episcopo rutheno, iurisdictionem dare presbyteris ruthenis illis in locis in quibus fideles latini ritus adsunt sibi subditi, sed nullus adest presbyter latinus qui curam eorum gerere queat.

CAPUT III.

De fidelibus ruthenis.

Art. 24. — Fideles rutheni iis in locis in quibus nulla ecclesia nec sacerdos proprii ritus habeatur, ritui latino sese conformare valebunt; eisque eadem facultas conceditur etiam ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint nisi cum gravi incommodo adire, quin tamen ex hoc ritus mutatio inducatur.

Art. 25. — Transitus a ritu rutheno ad latinum laicis ruthenis qui verum et stable domicilium in regione Canadensi constituerint, concedi nequit nisi a S. Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis, gravibus et iustis intervenientibus causis ab ipsa S. Congregatione cognoscendis, auditio Episcopo rutheno Canadensi.

Art. 26. — Si vero contingat ut hi quandoque in patriam revertantur, tunc etsi ex pontificio rescripto ritum latinum susceperint, licebit eis, Apostolica Sede exorata, ad pristinum ruthenum ritum redire.

Art. 27. — Non licet missionariis latinis, sub poenis ab Apostolica Sede decernendis, quempiam ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere.

Art. 28. — Fideles rutheni, etiam in locis in quibus adest presbyter rutheni ritus, apud sacerdotem latinum ab Ordinario loci adprobatum peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis valide et liceite obtinere possunt. E converso fideles latini peccata sua confiteri possunt apud sacerdotem ruthenum ab episcopo suo adprobatum, in locis in quibus adest missio aut ecclesia rutheni ritus. Presbyteri vero rutheni absolvere non poterunt fideles latini ritus a censuris et a casibus reservatis in dioecesi latina in qua sacrum ministerium exercent, absque venia Ordinarii latini. Vicissim idem dicatur de presbyteris latinis quoad censuras et reservationes statutas ab Episcopo rutheno.

Art. 29. — Omnibus fidelibus cuiusque ritus datur facultas, ut, pietatis causa, sacramentum eucharisticum quilibet ritu confectum suscipient; ac insuper, ubi necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti rutheno ministrare Eucharistiam consecratam in azymo; et vicissim sacerdoti latino ministrare in fermentato; at suum quisque ritum in ministrando servabit.

Art. 30. — Quisque fidelium praecepto Communionis paschalis ita satisfaciet, si eam suo ritu et quidem a parocho suo accipiat.

Art. 31. — Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio e manibus proprii parochi accipiendum est; sed, urgente neessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere; qui tamens ritu suo ministrabit.

Art. 32. — Funerum celebratio ac emolumentorum perceptio in familiis mixti ritus, ad parochum illius ritus pertineant ad quem defunctus pertinebat.

Art. 33. — Ad vitanda gravia incommoda quae inde ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis et festis in utroque rito in eamdem diem incidentibus, sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco exsistat, rutheni interesse tenentur.

CAPUT IV.

De matrimonii inter fideles mixti ritus.

Art. 34. — Matrimonia inter catholicos ruthenos et latinos non prohibentur; sed ad vitanda incommoda quae ex rituum diversitate in familiis evenire solent, uxori, durante matrimonio, ritum viri sequi potest, quin ex hoc sui nativi ritus mutatio inducatur.

Art. 35. — Soluto matrimonio, mulier proprium ritum originis resumere valet.

Art. 36. — Matrimonia tum inter fideles mixti ritus, tum inter fideles ruthenos, servata forma decreti *Ne temere contrahi* debent.

Art. 37. — Attamen matrimonia mixti ritus in ritu viri et ab eiusdem parocho erunt benedicenda.

Art. 38. — Dispensations matrimoniales in matrimoniis mixti ritus, si quae sint dandae vel petendae, dentur et petantur ab episcopo sponsae.

Art. 39. — Nati in regione Canadensi ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum.

Art. 40. — Baptismus in alieno rito ob gravem necessitatem susceptus, cum nimirum infans morti proximus esset vel natus esset in loco in quo tempore nativitatis parochus proprius patris non aderat, ritus mutationes non inducit.

Art. 41. — Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritus est eorum pater.

(D. xviii mens. Augusti MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. per Septembrem mensem coram se admisit peregrinorum agmina ex archidioecesi Mediolanensi, ex dioecesis Parmensi, Placentina, Verulana; ex Moravia; ex Catholico foedere iuvenum ex orbe universo gymnicis ludis vacantibus; ex dioecesis Venetiarum et Concordiae, Fesulana, Isclana, Messanensi aliisque Siculae regionis, ex dioecesis Taurinensi, Mutinensi, Carpensi, Nonantulana, Patavina, Veronensi, Rodigensi, Calvensi ac Theana, Stabiensi; ex Piceno; ex Italica Societate Sacerdotum SSmae. Eucharistiae adoratorum, ad duorum millionum numerum; ex dioecesis Regina, Burgi S. Donnini, Aretina, Montis Politiani, Cerretana, Viterbiensi; ex Alsacia; ex Civitate S. Marini. Praeterea tria millia iuvenum et quingentos ex Societate Italicae Iuventutis Catholicae; peregrinorum manus ex dioecesis Cremensi, Cremonensi, Tusculana; ex Gallicis opificibus; ex regionalibus moderatoribus Tertii Or-

dinis S. Francisci; ex foedere catholicorum opificum Ligurum; ex dioecesis Pompeionensi, Praenestina, Senarum, Berolinensi; ex Brasilia; ex Gallia, quos inter mille ac ducentos iuvenes ex Catholico Gallorum Iuvenum foedere.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequantur ecclesias de proprio pastore providit, nempe: Cathedrali ecclesiae Monasteriensi praefecit sac. Ioannem Pogenburg, eiusdem cath. eccl. Monasterien. canonicum et vacantis dioecesis vicarium capitularem; cath. eccl. Laudensi rum. dnum. Petrum Zanolini, hactenus episcopum Fabrianen. et Mathelicen; cath. eccl. de Chiapas sac. Maximinum Ruiz, archidioecesis Mexicanac, ibidem canonicum poenitentiarium basilicae Guadalupensis; cath. eccl. Limburgensi sac. Augustinum Kilian, eiusdem eccl. cath. canonicum; metropolitanae eccl. Tarragonensi revnum. dnum. Antonium Lopez et Pelaez, hactenus episc. Iaccensem; metrop. eccl. Burgensi revnum. d. Iosephum Cadena et Eleta, hactenus episc. Victoriensem; cath. eccl. Cordubensi revnum. dnum. Raymundum Guillamet et Coma, hactenus episcopum Legionensem; cath. eccl. Legionen. sac. Iosephum Alvarez Miranda, canonicum poenitentiarium cath. eccl. Ovetensis; cath. eccl. Segobriensi revnum. d. Aloisium Amigò et Ferrer, hactenus episc. tit. Tagastensem et administratorem apostolicum dioecesis Celsonensis; cath. eccl. Salmantinae revnum. dnum. Julianum de Diego et Garcia Aleolea, hactenus episc. Asturicensem; cath. eccl. Asturicen. sac. Antonium Senso Lázaro, canonicum cath. eccl. Matritensis; cath. eccl., Placentinae in Hispania sac. Emmanuelem Torres, et Torres can. decanum metropolitanae eccl. Hispalensis; cath. eccl. Pacensi revnum. dnum. Adulphum Pérez Mugnos, hactenus episc. Canariensem; cath. eccl. Canarien. sac. Angelum Marquina Corrales, canonicum magistrali metropolitanae eccl. Burgensis; cath. eccl. Oriolensi sac. Raymundum Plaza et Blanco, dioecesis Conchensis, auditorem tribunalis sacrae rotae Matritensis; cath. eccl. Victoriensi revnum dnum. Prudentium Melo et Alcalde, hactenus episcopum titularem Olympiensem; cath. eccl. Nuceriae Pagorum sac. Iosephum Romeo, archidioecesis Reginensis, ibique parochum loci vulgo Catona; cath. eccl. Laquedoniensi sac. Cosmam Agostino, dioecesis Hieracensis, ibique parochum loci vulgo Mammola; cath. eccl. Cenetenisi sac. Rodulphum Caroli, urbis Romae, cubicularium intimum Sanctitatis Suae, rectorem collegii SS. Caroli et Ambrosii de Urbe, et officialem S. Congregationis de Religiosis; cath. eccl. S. Annae in America centrali sac. Rochum Orellana, archidioecesis S. Salvatoris, ibique cancellarium curiae archiepiscopalis; cathedr. eccl. S. Michaëlis in America centrali sac. Ioannem Antonium Dueñas, canonicum metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris; tit. episc. eccl. Mopsuestiana sac. Iacobum Vilanova, archidioecesis S. Salvatoris, ibique vicarium generalem et canonicum ecclesiae metropolitanae, quem constituit auxiliarem r. p. d. Antonii Adulphi Perez y Aquilar, archiepiscopi S. Salvatoris; tit. archiepiscopali eccl. Apamensi revnum. d. Renatum Franciscum Renou, hactenus archiepiscopum Turonensem; metropolitanae eccl. Turonen. revnum. dnum. Albertum Nègre, hactenus episc. Tutelensem; cath. eccl. Tutelen. revnum. dnum. Iosephum Metreau, hactenus episc. tit. Thermensem; cath. eccl. Superiorensi revnum. dnum. Iosephum M. Hourelka, hactenus episc. tit. Germanicopolitanum; cath. eccl. Ioliettensi sac. Gulielmum Forbes, parochum eccl. S. Ioannis Baptistae in urbe Marianopolitana; cath. eccl. Montis Laurei in ditione Canadensi sac. Franciscum Xav. Brunet, cancellarium et secretarium archiepiscopi Ottaviensis; cath. eccl. Notensi sac. Ioseph Vizzini, dioecesis Calatanisiadensis,

magistrum S. Theologiae in scholis Pontificii Seminarii Romani et officialem S. Congregationis Consistorialis.

Vita functi viri clariores.

Die VII, ad Tusculanum oppidum a M. Portio Catone nuncupatum, quo recuperandae bonae valetudinis gratia se contulerat, placide requiescit in Domino Purpuratus Pater **Iosephus Calasantius Vives y Tuto**, ex Ordine Capulatorum S. Francisci, S. Congregationis Religiosorum Praefectus, vir divina scientia ac singulari pietate insignis. Natus erat in oppido S. Andreae de Llevaneras, Barcinonensis dioecesis, d. XV mens. Februarii MDCCCLIV; pluribusque religiosis muneribus tum in patria, tum in Americis, atque etiam in Urbe egregie functus, inter Cardinales Diaconos a Leone PP. XIII cooptatus est d. xix mens. Ianuarii MDCCXCIX.

ANNALES

Balkanicae novae nubes.

Balkanicum caelum nubibus rursus grave apparet; rerum est inter se collidentium novus complexus; metaxa facta est iterum adeo implicata, ut non facile dignosci queat quisnam et quando eius filia sit tandem expediturus. Dum enim sub finem superioris mensis rationes tantum inter Bulgaros atque Turcas componendae manebant, en, contra, hodie haec ad pacificam conventionem pervenisse nuntiantur, quum inter ceteros Balkanicae regionis populos difficultates, minae, novarum confictionum pericula ubique exsurgunt.

Ad fines qui Serbos ab Albanis dividunt aliquot iam dies vario certamine pugnatur: si non omnino sopita proferendi imperii cupidio Serbos excitaverit ad territoria oppugnanda novo Albanorum regno attributa, nonne haec Londinensis coetus consultationum sit violatio? Nonne Europaearum gentium concordi voluntati maxima inde iniuria atque provocatio facta fuerit? Quamquam, ut aperte fateamur, huiusmodi rerum status, itemque internae Albaniae perturbationis, qua Essad ille militum praefectus aperte in gubernium rebellionem concit, in Europa ipsius caput quodammodo recidit; quae post decretam novae civitatis creationem, eius fines non satis manifeste definitivit, neque sollicite, quemadmodum oportebat, interno eius ordini providit.

Neque haec satis. Dum enim Serbi et Albani comminus sic signa conferunt, negotia inter Graecos atque Turcas intermittuntur, et, quod peius est, huic rerum prolationi militaria opera accedunt hinc inde, motusque copiarum, quasi novorum, eorumque imminentium, concursuum praeludium. Neque ad placandos animos certe iuvant itinera a Constantino, Graecorum rege, Berolinum ac deinde Lutetiam Parisiorum, denique Londinum his diebus suscepta... Quum praeterea, ut notum est, Graecia Serbiae contra Albanenses aperte faveat, numne non probabile erit Bulgaros atque Turcas post pacem pacatam inter se conventuros, ut, sua uterque ex parte, duobus ab aemulis aliquam captorum partem devellant?

Re quidem vera, si Serbia atque Graecia, quibuscum postremo Rumenia se consociavit, Bulgariae angustiis atque difficultatibus abusae sunt, ut ab ea auferrent quae sibi bello pepererat; si Turcae pariter eadem ratione sibi quaestum fecere ad Adrianopolim urbem recuperandam ab ipsorum dictione et armorum vi et Europae voluntate avulsam; quid Turcae et Bulgari vicissim Serborum et Graecorum sollicitudines ac molestias in rem suam non convertant, ad ea quae tam aegre amissa sunt aliquo modo reficienda? Initia ne foedera?... Atqui scimus quae reapse valeant! Europae sanctio?... Quae sit eius valor apprime in dies videmus! Quid igitur non audendum? Quid se a non difficili lucro abstinentum?

Ex his omnibus levi opera coniici potest, res ad tertium Balkanicum bellum necessario atque expedite heu! procedere; vel saltem ad novarum confictionum seriem, quae Europam omnem incertam, anxiā, curaque ac sollicitudine affectam diu adhuc retinebunt.

Sinenses res.

Sinensium gubernium internam rebellium seditionem, Nanchino urbe, eorum arce, expugnata, domuit; at in discrimine cum Iaponia nunc versatur ob quosdam Iaponenses cives in illius urbis expugnatione occisos. Videtur Tokio in urbe factio esse, quae libenter ex hoc eventu occasionem nacta sit ad bellum cum finitimo populo gerendum, cuius exitus is fiat, ut Manchouria regio Iaponiensium dictioni addicatur. Iaponiensium gubernium urgentibus illis viriliter obsistit; at quum, ob civiles rationes, politicorum negotiorum apud exterarum rerum administrum moderator nefarie sit Abe in urbe interemptus, quid ex animorum agitatione in dies crescente oriturum sit omnes prorsus ignorant.

Italorum proelia in Libya.

Italorum in Libya progressui obstant incolarum Turcis adhuc faventium non infrequentes concursationes, quos Itali facile vincunt, non sine tamen aliquando sanguinis effusione. Sic die decimasexta elapsi mensis Septembris gloriose in certamine occubuit Torellius, copiarum strenuus dux, dum cum militibus suis Merg regionem in dorso montis porrectam et ab Arabis acriter defensam, oppugnat. Sit debitus animoso viro patriae honos!

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMXIII Dublini, ob opificum ex condicto universam a laboribus desertionem a quodam factioso homine Ioanne Larkin promotam, gravissimi tumultus flunt, quos militari manu coercere oportet. A certamine quadrinerti prope cives vulneribus affecti recedunt.

Tabulae clarissimi anglici pictoris Yoner, in castro Klillarney a Kenmere Comite collectae, fortuito incendio absumuntur.

— d. III Brisbane ex urbe nunciatur Iaannes Henricus Warne doctor, dum incognitam regionem Papu investigat ad «radium» inveniendum, ab incolis nefarie interimitur; qui praeterea ex eius corpore cibum heu! sibi comparant.

Ad Aisgill, ferriviarum anglicam stationem, curruum series citato cursu Edimburgo procedens in alteram, Glascovio provenientem, occurrit. Horrendus collitus atrocem mortem viatoribus decem parit, pluresque alios foede sauciat.

Similia ad Wallingford oppidum Civitatum Foederatarum Americae septentrionalis lugentur.

Hagae in urbe duodevigimus de pace conventus inter legatos apud publicos per orbem coetus legibus ferendis inchoatur.

— d. IV in castro ad urbem Sigmaringen, Emmanuel, quondam Lusitanorum rex, Augustam Victoriam de Hohenzollern, Principem foeminam, sollemniter uxorem ducit.

— d. X aeronavis dirigibilis quaedam Germanicae classis ob improvisam tempestatem in mare ad Heligoland alliditur. Ex navigii administris ac remigibus septem tantum sospites evadunt.

— d. XII nunciantur Falcon et Hope insulae archipelagi de Tonga, in Oceano Pacifico australi, terrae motu fortasse, cum suis incolis fuisse submersae.

— d. XIII incendium, qua de causa exortum ignoratur, mercium magna receptacula ad Aliae ferriviarum Austriacam stationem omnino delet.

— d. XVIII inter oppida Cannes et Grasse currus tres electrica virtute acti ac militibus onusti ex ferreis axibus, quibus strata est via, exeunt atque per praecipitia deferuntur. Plures inde viatores mortui aut gravibus vulneribus affecti edificantur.

— d. XIX Sophia, Gulielmi ex Saxoniae-Weimar Principibus filia, vigesimum et sextum aetatis annum agens, Heidelberg in castro mortem infelicititer obit.

— d. XX novae opificum ex condicto a laboribus magnae desertiones ex Anglia significantur.

— d. XXI in urbe Tarvisina, quinque supra quinquaginta annos natus, vita fungitur Thomas Salsa, strenuus Italorum militum dux. Post Libyam occupatam, Tripolitano praesidio praefectus est; quo munere abhinc paucos menses valetudinis causa sponte se abdicavit.

Eadem die in oppido Cossano Belbo ad Albam, dum orationem publice habet, improviso fato corripitur Theobaldus Calissano, publicorum cursuum in Italia administer. Natus erat anno MDCCCLVIII.

— d. XXII Calatanisii moritur Michaël Tripiusciano, sculptor magna laude celebratus.

— d. XXV Garros aviator, ex oppido S. Raphaëlis in Gallia profectus, Tunetem urbem feliciter appellat.

— d. XXVII nuncium affertur, Henricum Radford atque Georgium Street, exploratores ad arcton, ab Esquimensibus fuisse necatos.

— d. XXVIII Lutetiae Parisiorum de vita dedit Dujardin Beaumetz, per multos annos in Gallia a secretis status pro bonis artibus, quas impensa opera defendit, fovit ipseque coluit. Evasit enim pictor sive de militaribus, sive de civilibus rebus valde probabilis.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

TADEUSZ MARYAN LEWICKI. *Poczatki Nauki Języka Lacinskiego dla pierwszej klasy gimnazjalnej* (Preparacye-Słowniczek do lekcyi lacinskich - Słowniczek dolekeyi polskich-Wykaz imion wlasnych - Zestawienia gramatyczne). — Edid. Nakladem K. S. Jakubowskiego, Welwowie, 1913.

DR. WOJCIECH KRAJEWSKI. *Czytania Lacinskie dla III., IV. i V. klasy gimnazjalnej*. — Indidem, 1913.

AENIGMATA

I.

Non epulas cupio; siccis date pocula labris:
Munere potandi fungor in orbe bibax.
Nec cyathis alvum repleo (non profero gerras)
Haurirem quamvis gutture vitis opes.
Qua frontis niteam specie qui scire peroptat,
Hoc fateor verum: os est mihi guttur hians.
Dum me caupo tenet, mulcet tunc blanda voluptas,
Et placet ad colles pergere, et arva placent.
Me, nullo stipante latus, non vascula sicco,
Mendicabo alvum, quum mihi potus erit.
Quum eyathos haurire datur, tunc sorbeo Bacchum,
Vincio centenos, ore bibente, viros.
Si larga Bromius dextra mea vota secundet,
Nectares rori gaudia iuncta bibam;
Tunc pariam vobis foecundo e palmite potus,
Et praesens nostro gutture munus erit.

AUGUSTINUS EPIRO.

II.

Virus in ore meo latitat. Mihi praeifice sigma;
Per venas vegetas vividus humor abit.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI. Commentarium moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet, VINCENTII LANFRANCHI opus, cui titulus:
DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA ACROASIS.

Aenigmata an. XVI, n. VII proposita his respondent:

I) Fumus; II) Collis-Callis.

Ea rite soluta miserunt:

Ad. Kozlow Patricovia. — Lud. Bernard, *Gratianopolis*. — Ant. Masia, Tarragona. — Petrus Tergestinus. — Iac. Costa, *Dumio* — Nic. Lagumina, *Panormo*. — Lad. Thyssen, *Dresda*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Mart. Dunne, *Neo Eburoaco*. — Carm. Zlinezky, *Cracovia*. — St. Lovinski, Zerkow. — E. Burg, *Monachio*. — Alois. Geyer, *Ratisbona* — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Georg. Archambault, *Quebeco*. — Claudius Lucensis. — Diomedes Falva, *Constantia*. — Aloisius Venti, *Bononia*. — Iac. Gomez, *Caesar Augusta*. — Rain. Silvan, *Londino*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — N. Bianchi, *Augusta Taurinorum*. — Alex. Pintauro, *Neapolis*. — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — F. Arnori, *Mediolano*. — F. Correa, *Emerita*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Rich. Muller, *Berolinio*. — A. Tonelli, *Genua*. — I. Giolli, *Papia*. — Leonardus Feher, Eug. Dolmar, *Chicagine*. — I. Ortiz, *Morelia*. — F. X. M., *Drepago*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum*. — Aug. Bounin, *Aureliano* — P. Prado, *Venetiis*. — R. Richi, *Traianopoli*. — Nie. Endrigi, *Salisburgo*.

Sortitus est praemium:

AUGUSTINUS BOUNIN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

MARCI MINUCII FELICIS

OCTAVIUS

adnotationibus illustratus.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae Societatis Editricis Romanae.

THEATRI RECESSUS DONO ALLELUIA

AD ROMAM

13)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

OMNES.

Procul hinc, profani, procul hinc recedite!

Fores rumpuntur et magno clamore ad ostium milites adstant. Unus procedit et distincta voce proclamat:

« Adsunt Augusti Constantini milites! »

SACERDOTES. (Timore correpti huc illuc cursantes exclamant)

Adsunt! Adsunt! Qui dolor! Divum quod dedecus!

(Exeunt ex parte contraria).

SCENA ULTIMA.

Ingreditur TRIBUNUS ingenti militum numero stipatus. Custodes templi arma, honoris gratia, demittunt.

TRIBUNUS.

Ubi sunt captivi?

(Milites eos in libertatem vindicant.)

Portas eis pandite!

TRIBUNUS.

(Ad suos conversus adsignans milites templi).

Ii sint illico nobis in custodia!

Hic pone signifer Labarum purpureum!

Ad ipsum sistant liberae centuriae.

Cras autem praelium certa cum victoria!

(Omnes milites haec eadem repetunt, cum pueri festantes concinunt)

Contritus laqueus: liberati sumus!

Explicit Actus II.

ACTUS III.

SCENA I.

(Actio est in foro. Huc illuc MILITES inter se loquentes discurrunt).

I. MILES.

Redisti a pugna?

II. MILES.

Redivi nuperius.

I. MILES

Quid autem narras facto de certamine?

II. MILES.

Nec durius fuit, nec aliud longius,
Quam quod hesterne fortiter pugnavimus.
Erant sed agminum laetantes ordines,
Sub ipso strenui ductu Maxentii...

III. MILES.

Cur at redisti?

II. MILES.

Missus quaesitum denuo,
Novos qui subrogent occisos milites.

III. MILES.

Fuerunt multi igitur?

II. MILES.

Multis cum millibus!

I. MILES.

Et ipsae denuo festinantes copiae
Proficiscuntur magna cum fiducia,
Mox redeundi laureis circumdatae
Sertis, ut olim legiones veteres.
Deorum fausta vulgabantur omina....

II. MILES.

Foret si occisus?

III. MILES.

Omen avertant dii!

IV. MILES.

Nostri quid autem, dic, nostri quid interest?
Sumus Germani... Crescent dummodo stipes...

II. MILES.

Labente vita vidi bellum saepius,
Et ipsos duces salutavi strenuos,
Magis sed nunquam fide certae victoriae!
Audax Maxentius dixerat securius
Se se victurum talibus cum copiis...

I. MILES.

Et augures ipsi laeta post auspicia...

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.